Hec prius ut memorant non inuidiosa nefandis.
Nec cupienda bonis regna thoantis erant.
Hic pro supposita uirgo pelopeia cerua.
Sacra dee coluit qualiacunque fuę.
Quo postquam dubium pius an sceleratus orestes.
Exactus furiis uenerat ipse suis.
Et comes exemplum ueri phoceus amoris.
Qui duo corporibus mentibus unus erat.
Protinus euincti tristem ducuntur ad aram.
Que stabat geminas ante cruenta fores.
Nec tamen hunc sua mors. nec mors sua terruit illum.
Alter ab alterius funere mestus erat.
Et iam constiterat stricto mucrone sacerdos.
Cinxerat et graias barbara uitta comas.
Cum uice sermonis fratrem cognouit et illi.
Pro nece complexus efigenia dedit.
Leta dee signum crudelia sacra perose.
Transtulit ex illis in meliora locis.
Hec igitur regio magni pene ultima mundi.
Quam fugere homines dyque propinqua mihi est.
Atque meam terram prope sunt funebria sacra.
Si modo nasonis barbara terra sua est.
O utinam uenti quibus est ablatus orestes.
Placato referant et mea uela deo.

O Mihi dilectos inter sors prima sodales.
Vnica fortunis ara reperta meis.
Cuius ab alloquiis anima hec moribunda reuixit.
Vt uigil infusa pallade flamma solet.
Qui ueritus non es portas aperire fideles.
Fulmine percusse confugiumque rati.
Cuius eram censu non me sensurus egentem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1668/0346

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG